

1c

DISPUTATIO PNEVMATOLOGICA  
DE  
UBI ANGELORUM  
DEFINITIVO;



Quam  
Dei Gratiâ

ac  
Inclutæ Facultatis Philosoph.

Indultû,

P R Æ S I D E

RECTORE MAGNIFICO,

Viro

*Plurimum Reverendo, Amplissimo Excellentissimoq;*

DN. L. VALENT. ALBERTI,

SS. Theol. Profess. P. Extra-Ordinario,

Dialect. & Metaph. Ordinario, Colleg. B. M. Virg. Colle-  
giato & Academiæ Decem-Viro, Præceptore suo ju-  
gitercolendo,

*Calend. Nov. Anno 1676.*

P. P.

JOHANNES JACOBUS Cramer / Lips.

A. & R.

H. L. Q. C.

L I P S I Æ,

Typis MICHAELIS VOGTIL.

Theol. evang.  
dogm.

245,22

L. M. P.

LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
DRESDEN

THE  
LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
DRESDEN

THE  
LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
DRESDEN

THE  
LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
DRESDEN

THE  
LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
DRESDEN

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden



THE  
LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
DRESDEN



C. B. D.



Uper admodum Ecclesia  
de Angelis in solenni festiuitate egit.  
Quod exemplum in Academia sequi liceat  
mihi, propediem Angelis Comitibus stu-  
diorum gratiâ aliò commigraturo. Enim-  
verò cùm multa de eorum essentia, actionibus & affectio-  
nibus tradi possint; nihil tamen suavius, nihil gratius dici  
ac audiri potest officio eorum, quod in seruiendo DEO Hebr. I, 14.  
nobisq̄ve hominibus diligentissimè promptissimèq̄ve  
exequuntur. Ad hoc autem ritè obeundum, opus habent  
præsentiâ. Hinc quæstio de Loco eorundem in scholis  
mota fuit. Est verò locus uti aliàs ita hîc vel communis vel  
proprius. De utroq̄; disputârunt Curiosi. Platonici Ange-  
los aut Dæmones, saltem plurimos, inter Lunam & terram,  
tanquam in Hospitio suò aut, Philosophicè loquendo, loco  
communi degere crediderunt. Hinc *Cælii Rhodigini con-* L. 2. Lektion.  
*jectura*, putantis Aristotelem *δαίμωνιον* dictum, quia in Antiqu. 6. 2.  
sublunaribus (quæ Dæmonibus essent proxima) maximè  
versatus fuerit. Ab hoc autem Angelos orbibus coelesti-  
bus motores additos fuisse, notissimum est; quem ex  
Christianis Scaliger aliiq̄ve sequi non erubuerunt. No-  
strâ verò sententiâ communem locum, quâ cœlum quâ  
terra patet, ubiq̄; inveniunt, ut sua Deo, sua hominibus ser-  
vitia possint approbare. De Loco verò proprio eorundem  
solliciti erimus in præsentî dissertatîone, modestè secu-  
cun

turi Scriptores orthodoxos, qui excessum inter & defectum  
medii incedentes nec extendunt nimis praesentiam eorum,  
nec justo arctiorem fingunt, sed ad ubi, quod vocant,  
definitivum referunt. Ad quam sententiam intelligendam  
faciet Caput primum, agens de Praesuppositis; secundum  
autem ad probandam Thesin, & tertium ad refutandam  
Antithesin adhibebitur. Faxit DEUS, Dominus Exercituum  
coelestium: Feliciter!



61



CAPUT PRIMUM  
DE PRÆSUPPOSITIS.

§. 1

**Q**uicquid est, id alicubi (voce latius acceptâ) oportet esse. Principium naturâ notum. Hinc concipi quidem potest Ens, quod ita fit, ut nulli

§. 2. Modus tamen essendi alicubi, pro diversitate Entium, variat, redactus communiter ad *Triplex Ubi*, repletivum, definitivum & circumscriptivum.

§. 3. Sunt quidem, qui in *Loco* his modis Entia dicant esse: puta vel repletivè, vel definitivè vel circumscriptivè; vide *Stirii Tab. phys. de Loco*. Sed Usus, vocabulorum Tyrannus, tam amplam significationem invidit *Loco*, eumque corporibus fecit proprium. Rectè *Scaliger*: a.) *Dicuntur Intelligentia*, inquit, *esse in loco æquivocè, atque etiam plusquam æquivocè: quia sunt in Ubi, non per circumscriptionem, quemadmodum mea manus in aëre, sed per designationem, quam ipse in præcedentibus explicat per definitionem hunc ad modum: Ibi est, hic non est.*

a.) *Exercit. 319. sect. 5.*

§. 4.  $\pi\bar{s}$  verò five *Ubi*, eodem usu volente, fimbrias accepit latiores, complexum sub se, quicquid est & alicubi est, Deum & creaturas omnes.

§. 5. Hunc in modum ac finem distinguuntur illa tria  $\pi\bar{s}$  Contentis non minus ipsis ac continendi modis.

§. 6. 1.) *Contentis*: In  $\pi\bar{s}$  repletivo est Deus, & quidem solus; in definitivo sunt Spiritus creati, Angeli scilicet ac animæ humanæ & intra & extra corpus; in circumscriptivo corpora.

A 3

§. 7.

§. 7. 2.) *Modis continendi* : Deus, qui est in  $\pi\bar{\sigma}$  repletivo, in finitam habet existentiam. Ejus enim essentia est infinita: ac proinde, cum immensitate sua certo alicui & definito spatio sive Ubi alligari non possit, ita est hic & alibi, ut simul sit, ubique, simul replens omnia. ὁλθ̄ ἐλικώς ἐστὶ πανταχῶ, καὶ ὁλθ̄ ἐν παντί, καὶ ὁλθ̄ ὑπὲρ τὸ πάν; ut, *Damascenus* rectè scribit: b.) seu ut *scaliger* ait: c.) *Est per omnia, super omnia, in omnibus, ante omnia, post omnia, excelsus, gloriosus, immensus, incomparabilis, incomprehensibilis.* Quæ verò sunt alicubi definitivè, finitam habent & determinatam existentiam, adeoque in aliquo saltem certo & definito sunt spatio vel Ubi, nec queunt per naturam esse simul hic, simul alibi & ubique; quò ipsò hunc modum adessendi distinguvi ab esse alicubi repletivè, nemo non videt. Sic v. g. Angelus, qui est Lipsiæ, non potest esse simul Wittebergæ, & alibi vel ubique, quoniam ejus existentia est finita. Dein verò eadem, quæ nempe sunt in  $\pi\bar{\sigma}$  definitivo, carent circumferentiâ locali, itidem extensione, dispersione; totaque sunt in toto spatio sive Ubi, & tota in quâlibet parte spatii sive ubi. Tota, inquam, in quâlibet spatii parte secundum substantiam & substantiales perfectiones, non autem tota secundum quantitatem, notante *Scheiblero* d.) Sic sanè anima nostra, quæ hòc modò est alicubi, 1.) caret circumferentiâ locali, extensione &c., est enim incorporea: 2.) tota est in spatio humani corporis toto, & tota etiam essentia animæ est in quâlibet parte illius spatii humani. Neque enim in minimâ parte pedis quicquam deest animæ, quod ad illius essentiam pertineat, & sit alibi positum. Idem quoque videre est in Angelis. Et in hòc abit hoc  $\omega\bar{\sigma}$  definitivum à tertio, circumscriptivo. Quæ enim in eò sunt, non habent tantum finitam & determinatam existentiam, sed & περιερίαν circumscribentem vel ambientem, quâ includuntur. item extensionem, dispersionem; suntque quidem tota in toto spatio, non verò tota in quâlibet parte spatii, sed eorum certa pars est in certâ parte loci. Sic e. g. Studiosus in museo, non habet solum finitam & determinatam existentiam, ut per naturam non possit esse simul hic & alibi, multò minus ubique; sed circumferen-

ti-

tiam etiam localem, quæ ipsum proximè ambit, itidem extensionem; est quæ totus in museo, sed pars ejus superior in parte musei superiore, inferior in inferiore.

b.) *lib. 1. c. 16.* c.) *lib. 1. de plantis.* d.) *lib. 1. Metaph. cap. 17. Tit. V. Art. 11. num. 40.*

§. 8. Ex his fluunt duæ quasi proprietates eorum, quæ sunt in Ubi definitivè; 1.) quòd plures spiritus creati, etsi non plura corpora in eodem loco, simul in uno eodemque; ubi esse possint: 2.) quòd in illis non detur superius nec inferius, quantumvis in istis, quæ sunt in Ubi circumscriptivè.

§. 9. 1.) Possunt plures spiritus creati simul in uno & eodem ubi esse: id quod testatum reddit Historia Evangelica referens e.) quòd tota legio Diabolorum, five sex Dæmonum millia, aut juxta alios 6666, unius hominis occupaverint corpus. Atque hoc quidem fieri potest non tantum vi divinâ (quanquam nec hæc id fieri posse aliqui ex locatione Intelligentiæ per operationem transeuntem intulerint f.) sed & naturaliter g.) contra *Sarnanum, Ananiam & multos apud Mayronem, ipsumque Mayronium. Thomam* h.) & plures alios. Pro nobis sententiam dicit *Scaliger*, i.) cujus & verba & simile non possum non hic loci inferere: *Quemadmodum, ait, potest esse in orbe suo Intellectiva, (quam hypothese Aristotelicam alias non facimus nostram) cum quo tamen haud facit unum quiddam, quasi cum materia: sic atque etiam tanto facilius, duo Angeli esse poterunt in eodem ubi.* Et paulò post: *Ad eandem rationem (ut pingvi Minervarem, quoad fieri poterit, oculus subjiciamus) unius cerei radius, & aliorum complurium, & in eodem sunt aëre, & in eodem ubi. Sed manifestius: cum lapidis species, quæ sub aquâ est, simul cum aqua specie traducitur ad oculum.* At verò in eodem loco proprio uno eodemque momento nullò modò duo, multò minus plura per naturam esse queunt corpora: sed illa se mutuò expellunt, nullumque, nisi alterò abscedente, alterius locum subire potest. Quæ omnia sequuntur ex eo, quia sola corpora habent materiam, adeoque etiam quantitatem & dimensiones, non autem spiritus: Hinc non potest non fieri penetratio dimen-

sio-

tionum, ipsorumque corporum, si istorum plura simul eundem locum occupent, neutiqvam autem, si plures Spiritus in eodem ubi existant. Jam verò à penetratione istà abhorret omnis natura, cui est planè intolerabilis. Unde: *Corpus in corpus penetrare nequit*, rectissimè inquit Scaliger. k.) Sic v.g. manus mea, quæ est alicubi circumscriptivè, ita sanè est hòc in loco, ut intra eundem non possit esse vel alia manus, vel corpus quodvis, quandoquidem tunc illa manus, vel illud corpus penetraret hanc meam manum, illius longitudo penetraret hujus longitudinem, latitudo latitudinem & sic porro. Contra verò si sint in hòc vel istò ubi centum vel mille & iterum mille spiritus, certè ejusmodi penetratio non fieret, neque timenda esset; quoniam spiritus sunt immateriales, nullasque habent dimensiones.

- c.) *Luc. 8. v. 30.* f.) *Conf. Raynaudus in Theolog. natur. Dist. IV. Quest. III. Artic. I. num. 213.* qui putat alias, *ibid. p. 87.* legionem Dæmonum in unius hominis corpore coexistere potuisse, etiam si fuerint materiales. Sed proh DEUM! quàm exigua Dæmonum hòc pacto oporteret esse corpuscula! Unde tanta ipsorum potentia? g.) *Idem loco allegato.* h.) *Scheibler. lib. 2. Met. c. 4. Tit. VIII. Artic. III. n. 97.* i.) *Exercit. 359. f. 5.* k.) *Exerc. XI. f. 1.*

§. 10. 2.) In iis, quæ in Ubi definitivo sunt, neque est superius neque inferius, quia ea non sunt quanta, sed spiritus: sola verò quanta habent extensionem, atque ita partes etiam superiores & inferiores. Cui accedit,  $\pi\delta$  horum circumscriptivum propriè esse locum. Jam autem non est ignotum illud Physicorum: *In omni loco est supra & infra.* Sic adsit minimum corpusculum, tamen habebit partes inferiores & superiores, quas si non possum oculis dignoscere, tamen possum per microscopia, & oculis armatis. Spiritus autem finitus & creatus, cum partes nullas habeat, quis Argus agnosceret eas, quis distingveret?

CAP.



CAP. SECUNDUM  
PROBANS THESIN.

§. 1.

**D**uplici heic viâ incedemus, probaturi 1.) κατ' ἀρσιν, negativè vel remotivè, Angelos neq̄ esse in ubi repletivè, neq̄ circumscriptivè; 2.) κατὰ θέσιν, affirmativè vel positivè, Eos esse in Ubi definitivè.

§. 2. κατ' ἀρσιν: Angelos non esse in Ubi repletivè, tribus præcipuè rationibus evinci potest; quarum prima est ab Eorum existentia seu præsentia finitâ & determinatâ. Argumentor itaq̄ I.

Quorumcunq̄ve existentia vel præsentia est finita & determinata, illi non sunt in Ubi repletivo. Atq̄vi Angelorum existentia est talis. Ergo.

Major probatu est facillima: quoniam Ejus, quod est in Ubi repletivo existentia vel præsentia esse debet infinita & indeterminata, qualis est solius Dei; quorum ergo talis non est, sed finita potius & determinata, quomodo illi possunt esse in Ubi repletivè? Quòd autem Angelorum existentia hujusmodi sit, (quæ est Minor,) confirmatur:

1.) Quorumcunq̄ve essentia est finita, eorum existentia vel præsentia est finita. Atq̄vi Angelorum, essentia est finita. Ergo.

Major est firma: quemadmodum enim ex opposito essentia infinita, (DEI,) correspondet existentia infinita; ita, etiam essentia finita correspondere necesse est existentiam sive præsentiam finitam. Nec est, quòd circa Minorem fluctuemus: nam essentia Angelica est dependens à primo Ente, & proinde ab hoc determinata & finita. Neq̄ datur, nisi unum infinitum. 1.)

2.) Quæcunq̄ve adsunt certo & determinato spatio sive Ubi, ita ut non possint simul extra illud esse  
B in

in pluribus aliis spatiis five Ubi, eorum præsentia est finita & determinata. Atqui Angeli &c. Ergo.

Major suâ luce radiat, sicut & Minor: Nam sanè Angelus, qui est Lipsiæ, non simul est Constantinopoli, Romæ aut alibi.

1.) *Vid. Scheibl. Met. l. 2. c. 4. Tit. V. num. 42.*

§. 3. II. à motu Eorundem; quia Angeli moventur mutando Ubi suum. Argumentamur:

Quicumque moventur propriè, mutando Ubi suum, illi non sunt ubique five in  $\infty$  repletivè. Atqui Angeli moventur propriè mutando Ubi suum. Ergo.

Major certa est: quia quod ubique seu in Ubi repletivè est, non potest moveri propriè, & Ubi five præsentiam suam mutare. Etenim quod sic movetur, amittit unum spatium five Ubi, in quò dein amplius non est, & acquirit aliud, cui antea non aderat; quæ simpliciter repugnant ei, quod immensum & ubique est. m.) Dico verò: propriè. Impropriè enim DEUS etiam moveri, accedere & recedere (per  $\alpha\nu\delta\rho\omega\pi\omega\acute{\alpha}\theta\epsilon\alpha\nu$ ) dicitur, quod  $\theta\epsilon\omega\pi\epsilon\pi\omega\varsigma$  de effectu & affectu quasi ejus aut intimiore etiam conjunctione cum aliquibus creaturis, exponendum est. *Substantia divina præsentiam, inquit Petavius, n.) & existentiam omnibus in rebus iis ex Scriptura locis concludimus, quæ DEUM in illis esse, residere habitareq; dicunt. Quid igitur faciemus, cum, præter naturalem illam communemq; præsentiam, quæ in lapidibus ac brutis etiam animantibus nec non scelestis hominibus inest DEUS, genus aliud præsentia &  $\epsilon\nu\pi\acute{\alpha}\rho\theta\epsilon\omega\varsigma$ , id est, inexistencia, ut sic loquar, iisdem ex sacris literis discimus, quò in sanctis ac iustis propriâ ac exquisitâ quâdam inesse ratione dicitur; & in illis habitare velut in sede, templo ac domicilio? Minor quoque constat. Nam Angelos moveri 1.) testantur exempla; de quibus historia sacra & profana passim. 2.) Si Angeli non moverentur & mutarent Ubi suum, sequeretur, quod sint affixi alicui finito &*

& determinato spatio seu Ubi, undè egredi nequeant. Hoc autem maximè esse imperfectionis, notat & probat sæpius allegatus *Scheiblerus*. o.) Undè 3.) si adfunt spatio seu Ubi finito & determinato, sicut omninò adfunt (quod liquet ex remotâ ab ipsis immensitate & ubiqvitate,) ita tamen ut in eo saltem pro tempore existant, & dein iterum indè egredi queant, rursus sequitur, omninò Angelos moveri & mutare præsentiam suam. Consequentia patet, quia amissio spatii sive Ubi habiti non potest esse circa motum & mutationem præsentia. Sic v.g. Angelus, qui est Lipsiæ, Wittebergam ut veniat, moveatur, & Ubi seu præsentiam suam mutet, necesse est. Hinc etiam à *Damasceno* p.) *ἀκίνητος*, semper mobilis dicitur. Notanter autem diximus Angelos moveri *mutando Ubi suum*, non verò moveri localiter, *mutando locum*. Nam ejusmodi motus localis & Physicus Angelis per se & propriè non convenit. Equidem moveri de loco in locum queunt per accidens, & ratione corporum assumptorum, sed nullò modò per se, ratione *ἰστίας* suæ & propriè. Quia per se & secundum se non existunt in loco propriè dicto, uti ex dictis patescit, & mox pluribus probabitur; (Vide fusè & accuratissimè hæc deducentem *B. Meisnerum*, q.) & adde *B. Scheiblerum*, r.) qui pluribus rationibus probant atq; evincunt contra *Timplerum* & *Scotistas*, Angelis non competere hujusmodi motum localem & Physicum, qualem ipsis illi attribuunt; ) Ideò non moventur *mutando locum*, benè tamen moventur *mutando Ubi suum*, & sic sistendo præsentiam suam spatio uni, dimisso spatio alio. s.) Hinc non minùs verè, quàm scitè *Scaliger*: t.) *Angelus*, inqviens, *non movetur motu corporis mutando locum, sed motu rei incorporea, mutando Ubi.*

m.) *Conf. Scheibl. Met. l. 2. c. 4. Tit. VIII. Artic. I. num. 83. & Tit. XIII. Artic. I. n. 221. n.) Tom. 2. Theolog. dogmat. L. 8. p. 835. o.) Loco modò allegato n. 223. p.) L. 2. de fid. Orth. cap. 3. q.) in Philos. sobr. P. I. quæst. Met. 3. p. m. 1115. & seq. r.) Loc. cit. num. 227, s.) Vid. Idem ibid. n. 226, t.) Exere. 859. sect. 12.*

§. 4. III. Ratio ab aëtivitate Angelorum finita: quia Angeli nequeunt simul ubiq; agere & operari. u.) Argumentamur:

Quicumq;ve non possunt simul ubiq;ve agere vel operari, illi non sunt in  $\pi\bar{s}$  repletivo. Atq;vi Angeli. Ergò.

Majoris consequentia patet: Nam, qui ubiq;ve præsens est, suam, quâ gaudet, efficaciam ubiq;ve etiam exerit; qualis solus est DEUS. Ergò, qui vires suas non possunt ubiq; in actum deducere, etiam ubiq; non esse deprehenduntur; quales unâ cum reliquis omnibus creaturis sunt Angeli. Quæ est Minor; tantæ certitudinis, ut non pauci probatissimorum Autorum negent, in valdè distans Angelum operari posse; tantum abest, ut omni remoto limite, operationem ejus admittant in infinitum. Memorabile est, quod refert *Seilerus in Dæmonomania* (edita iterum à *Magnif. Domino Præsidi Anno 1674. p. 21.*) Dæmonem in obsessa ægerrimè tulisse (*Da ergrimmet Er zum hefftigsten*) cum hæc potestas operandi in remotiora illi fuisset denegata. Sed quicquid sit de hæc potestate; in infinitum tamen non valet. Nam egregiè *Thomas: x.) Divina, inquit, virtus & essentia infinita est, & est universalis causa omnium, & ideo suâ virtute omnia contingit, & non solum in pluribus locis est, sed ubiq;: virtus autem Angeli, quia finita est, non se extendit ad omnia, sed ad aliquid unum determinatum. Oportet enim quicquid comparatur ad unam virtutem, ut unum aliquid comparari ad ipsam. Sicut igitur universum Ens comparatur ut unum aliquid ad universalem Dei virtutem, ita & aliquid particulare Ens comparatur ut aliquid unum ad Angeli virtutem. Unde cum Angelus sit in loco per applicationem virtutis suæ ad locum, sequitur quod non sit ubiq;, nec in pluribus locis, sed in uno loco tantum.*

u.) *vid. Raynaud. Theolog. Nat. Dist. III. Quæst. 1. Artic. IX. num. 29. x.) 1, Quæst. 52. Art. II. c.*

§. 5. Hæc  $\kappa\alpha\tau'$   $\alpha\epsilon\pi\omega\upsilon$  de Ubi repletivo. Jam ulterius similem in modum Ubi circumscriptivum removebimus, ostensuri

furi, Angelos non esse in Ubi sive loco Physicè sive u *circumscriptio-  
nè*, aut ut moderniore hunc loquendi modum ( verba sunt  
Gregorii à Raynaudo allegata y.) antiquiore commutemus, *dimen-  
sivè ac quantitativè*. Quod itidem tribus cum maximè ratio-  
nibus fieri potest, quarum *prima* desumitur ab essentiâ Ange-  
lorum incorporeâ. Argumentor.

Quicumq; sunt incorporei, illi loco Physicè & pro-  
priè sumto non circumscribuntur. Atqvi An-  
geli sunt incorporei. Ergo.

Major vix indiget probatione: Nam locus Physicè & pro-  
priè sumtus est affectio corporis, ut sæpissimè assertum à Philo-  
sopho. Item, talis modus essendi in loco sequitur quantita-  
tem. Et proindè non convenit, nisi substantiis materialibus  
& corporeis, quæ solæ habent quantitatem; non autem in-  
corporeis, quæ eâ carent. Undè & *communis animi conceptio apud  
sapientes est; incorporalia in loco non esse, dicente Boëtio, 2.*) Mi-  
norem munimus sequentibus:

1.) Omnis Spiritus est incorporeus. Angeli sunt  
spiritus. Ergo.

Major firmissimo stat talo: Corpus enim & spiritus tanquam  
species ἀντισημιόνοιαe opponuntur; quò provocat ipse Christus  
Luc. XXIV. 39. Jam verò unum oppositorum nunquam est  
aut fit alterum oppositorum. *Oppositum non fit oppositum per re-  
ciprocationem vicisitudinariam; sicut habet Scaliger, aa.)* Minor  
in Philosophia Christiana nititur testimonio Sacrarum litera-  
rum, tanquam præsupposito certissimo. Quippe hæ non De-  
um solum (Joh. IV. & alibi,) sed & cælestes illos ac Deifor-  
mes animos (quemadmodum Dionys. cap. 2. de cælesti Hier. lo-  
quitur) πνεύματα vel spiritus appellitant creberrimè; Ut Psalm.  
CIV. 4. Matth. VIII. 16. Luc. VIII. 2. Hebr. I. 14. Ut taceamus  
rationes, saltem probabiles, Philosophiæ ut sic.

Arg. 2. Quæcumq; Substantiæ possunt integra pene-  
trare corpora, illæ sunt incorporeæ. Atqvi An-  
geli. Ergo.

Major extra dubitationis aleam posita est: Penetraretur, enim aliàs à corpore corpus, à quanto quantum, si illæ substantiæ, quæ hoc possunt, essent corporeæ. Ast penetrationem illam naturæ planè esse intolerabilem & supra Cap. I. probatum est, & Experientia quoque, illa rerum Magistra, abundè testatur. Minorem probatam reddunt ibidem adducta. Hinc Bernhardus bb.) *Angelis spiritibus, ait, parietes non obsistunt, sed cuncta illis visibilia cedunt, cuncta æquè corpora, quantumvis solida vel spissa, penetrabilia eis sunt ac peruia.* Et Bonaventura: cc.) *Si Demones corpora haberent, cum suis corporibus nullo modo possent subintrare corpus ita modicum.* 3. Argum.

Quicquid est immateriatum, illud quoque incorporeum. Atqui Angeli. Ergo.

Major certa est: Sola enim materia est principium corporeitatis, suffragio omnium dextrè Philosophantium. Quæ itaque hoc destituuntur, eadem & esse incorporea est necesse. Nam corpus esse, & sine materiâ esse, mutuâ internecione sese tollunt. *Qui corpus fingit sine materia, facit insomnium sine somno, judice acutissimo Scaligero.* Minoris ratio est: quia Angeli sunt spiritus. Si autem essent materiati, quomodo verè esse & dici possent spiritus? quandoquidem distingvitur, & oportet, etiam distingvi spiritum à corpore *χωρὸς* vel essentialiter. Quòd certè discrimen, si Angeli statuantur esse materiati, tolleretur, & non esset essentialè, sed accidentale.

y.) *Loc. cit. n. 88.* z.) *l. de hebdom. quem citat Thom. l. 9. 52. art. I.* aa.) *Exerc. 307. s. 5.* bb.) *homil. 3. in fest. annunt.* cc.) *l. 8. sext. dist. 8. art. 1. qu. 1. fol. 122.*

§. 6. *Alteram* rationem, quæ confirmari potest, Angelos non esse in loco circumscriptivè, desumimus à definitione & affectionibus potissimis loci propriè & Physicè accepti, quia illæ Angelis non conveniunt. Sic enim argumentamur:

Quibuscunquè nec ulla definitio, nec affectiones loci convenienter & verè attribui queunt, illi  
loco

loco circumscribi non possunt. Atque Angelis.

Ergo.

Major est indubiè vera. Minor autem de facili comprobari potest. Loci definitiones variæ à variis dantur. Aristoteli locus est τὸ τῶ περιέχοντι πέρασ ἀκίνητον πρῶτον, i. e. superficies corporis continens immobilis primò. dd.) Aliis, ut Scaligero, Sporingio &c. spatium, in quo corpus extensum est, secundum trinas dimensiones, Beato Meisnero, in medio quasi inter Aristotelicos & Scaligerianos incedenti, est extensiva situatio corporis, relata ad aliud corpus vicinum vel contiguum. ee.) Tandem Keckermannus præter locum ambientem, etiam sustententem statuens, hunc definit per basin, quæ molem corporis locati sustinet, super qua quiescit & movetur, à qua procedit, & ad quam tendit. ff.) Quamcunque jam harum definitionum assumamus, nullam tamen convenienter & verè Angelis attribui posse, primo statim intuitu deprehendimus. Nam cum Angeli non sint quanti, (quippe carent corpore, adeoque etiam materiâ, à qua solâ emanat quantitas ipsa seclusis mente omnibus terminis, & est ejus proprietas inherens ipsi per se secundò modò, sicut homini visibilitas; dicente Zabarella gg.) hinc exteriori & circumscribente superficie non ambiuntur, in spatio non extenduntur, à loco non sustentantur, atque sic porro. Dein ad affectiones sive conditiones loci potissimum ab Aristotele hh.) referuntur hæ: Locus locato æqualis esse debet: Locus continet locatum, & undique proximèque ambit ac circumscribit, & si quæ sunt similes. Ubi autem æqualitas, ibi quantitas. Nam æquale vel inæquale dici, quantitas est; μάλιστ' ἴδιον τῶ πόσος, τὸ ἴσόν τε καὶ ἀνίσον λέγεσθαι. ii.) Neque datur circumscriptio & exterior περιγραφή, nisi inter materiata & quanta. Sed Angeli carent materiâ & quantitate, ceu modò dictum. Quare æqualitas propriè dicta in iis nulla; nulla etiam aptitudo, ut contineri & circumscribi possint. Egregiè hinc iterum Scaliger: kk.) Quia sunt sine materia, non erunt in aliquo loco, sicut corpora: quorum extrema complent vacuum corporis continentis. Neque enim corpus, in quo Angelus suum habet Ubi, est ejus locus. Nempe neque dilatur, neque densatur ad illius ingressionem.

dd.)

dd.) L. 4. Phys. cap. 4. ee.) in phil. sob. part. 1. sect. 3.  
quest. 1. Phys. p. m. 695. ff.) l. 2. Contempl. c. 8. gg.)  
l. 2. de prim. mat. cap. 9. & seqq. hh.) l. 4. Phys. c. 5.  
ii.) l. Categ. c. 6. kk.) Exerc. 359. f. 5.

§. 7. Tertia denique ratio, ab illocalitate animæ petita,  
hæc est:

Si anima nostra humana, quamvis in corpore exi-  
stens, in loco tamen propriè dicto five in Ubi cir-  
cumscriptivo non est, sequitur, quòd multò mi-  
nùs Angeli. Atqui verum est prius. Ergo &  
posterius.

Majoris consequentia nititur communi & receptissimâ Lo-  
gicorum regulâ: *si id non inest, quòd magis inesse videtur, nec inerit, quòd minus inesse videtur.* Adde, quòd non debeat major perfe-  
ctio esse in animâ, quàm in Angelis. ll.) Ast major esset perfe-  
ctio in eâ, si hi, non verò illa, à loco circumscriberentur.  
Minor autem probatu non est difficilis. Nam ubi est locatio,  
ibi sunt duo individua, quorum alterum locus, locatum alte-  
rum. Ast anima & corpus non sunt duo individua, sed duæ  
uniuius individui partes essentialis. Item: Locus à locato non  
penetratur, sed tantùm occupatur. Anima autem profun-  
dissimè penetrat & pervadit corpus. Quâ de re plura qui desi-  
derat, consulat sæpius allegatum B. Meisnerum, mm.) ubi plu-  
ribus contra Timplerum, asserentem animam esse in corpore,  
tanquam in loco, agit, & huic contrariam sententiam de-  
fendit.

ll.) Conf. Scheibl. l. 2. Met. c. 4. ni 223. mm.) loco mo-  
dò citato quest. 3. p. m. 938. & seqq.

§. 8. Hactenus κατ' ἀπορω procedentes, conclusiones  
intulimus negativas; *Angelos non esse in Ubi repletivo, non in cir-  
cumscriptivo.* Nunc autem κατὰ δῖον progressuris, sponte  
subnascitur ex dictis hactenus conclusio affirmativa: *Angelos  
esse in Ubi definitivo.* Tres quippe, non verò tantùm duo, ab  
omnibus ex antiqva & receptissimâ sententiâ numerantur mo-  
di



di existendi in Ubi, 1.) Repletivus. 2.) Definitivus. 3.) Circumscriptivus vel localis, de quibus supra C. 1. Remotis ex his primò & tertio, non potest, non solus secundus pro Angelis superare. Argumentor:

Quæcunq; substantia est neq; in Ubi repletivo, neq; circumscriptivo, illa omnino est in Ubi definitivo. Atq; substantia immaterialis creata, & in specie Angelus. Ergo.

Majoris consequentia ex modo dictis satis clarè liquet. Minorem quod attinet, Angelos neutro horum modorum esse alicubi, sufficienter in præcedentibus corroboratum fuit.

§. 9. Hæc dum ita adferimus, non imus negatum, Angelos supernaturaliter & Dei potentiâ esse posse in pluribus Ubi, adeoq; non repugnare, eorum alicubietas modo adessendi repletivo ut assimiletur. nn.) Neq; 2.) posse eosdem esse aliquo modo in loco propriè dicto vel in Ubi circumscriptivè per accidens & ratione ejus, quod per se & immediatè in loco est. oo.) Sicut enim Angeli possunt assumere corpora, & in illis apparere; ita corpora illa per se sunt in loco, Angeli autem in illis corporibus præsentès, saltem per accidens, quatenus sunt in corporibus, quæ per se in loco sunt. Quem in modum etiam animæ humanæ per se in loco non sunt, sed per accidens, ratione corporum, in quibus sunt. Quamquam nec hic modus propriè loquendo rem in loco ponit, animadvertente D. Hundeshagen/ pp.) Nec 3.) inficiamur, Angelos esse alicubi circumscriptivè, quatenus hæc phrasis idem notat, ac esse alicubi modò limitatò, opponiturq; sic modo adessendi repletivè, adæquatè. Quò etiam sensu Damascenum Angelos dixisse esse alicubi circumscriptivè, sive eos circumscriptos esse, sæpè laudatus Scheiblerus qq.) observat.

nn.) Vid. Scheibl. Met. l. 1. c. 17. Tit. V. Artic. II. n. 45. oo.) D. Hundeshagen/in notis ad compend. pneum. Brückneri p. 21. it. Scheibl. ibid. Tit. VI. Art. 3. n. 65. pp.) loca cit. p. 22. qq.) loc. alleg. num. 48.

C

CA:

CAPUT TERTIUM  
REFUTANS ANTITHESIN.

§. 1

**A**ciem Adversariorum, ob expeditiorem pugnam, distribuimus in duas Classes, quarum prima est excedentium, altera deficientium.

§. 2. I. Excedunt, qui Angelos ubiq; & omnipraesentes esse adferunt. Quos inter 1.) quosdam Platonicorum fuisse, refert Marsilius Ficinus: rr.) 2.) Inter Christianos Weigelius ss.) per compendium Antithesin nostram suamq; thesin complexus: *Qui dicunt, inquit, Angelus in Persia, non est simul in Graecia, ii saltem perpendunt Angelum visibilem corporeum juxta corpus assumptum, & non juxta veram substantiam Angelorum, quae potest esse ubiq;.* Huc etiam pertinet 3.) Hervaeus & 4.) Durandus, quemadmodum vulgò meminerunt Metaphysici. tt.) Hujus sententia fuit: Angelum secundum situm esse nusquam: omni autem corpori praesentem esse ratione habitudinis ad quodlibet corpus movendum: ad hanc enim non requiri praesentiam realem secundum essentiam; sed sufficere praesentiam virtutis ab intellectu & voluntate, ad effectus extra se producendos uu.) Timidè tamen: *Circa hanc, inquit, opinionem nihil volo nunc asserere: sed solum procedere inquisitivè.* Sed rectè Josephus Angelus Valentinus: xx.) *Non solum temeraria est opinio Durandi, verum etiam erronea: quia opinatur, Angelum esse in loco, non tamen certò & determinatò sed ubiq;: Repugnat enim locis adductis ex S. Scripturâ; addo: rationibus etiam in cap. 2. allatis; ut plura hic regerere non sit opus.*

§. 3. Ab his tamen Excedentibus cautè sejungendi sunt illi 1.) qui vocem, ubiq;, adhibent quidem, sed ubiqvitatem, intelligunt non simultaneam, sed successivam. Sic Origenes: yy.) *Ubiq; Daemon est praesens, totum mundum subito pervolans.* Et Tertullianus: zz.) *Omnis Spiritus ales est. hoc Angeli & Dæmones. Igitur momento ubiq; sunt. Totus orbis illis locus unus est: quid ubiq; generatur,*

ratur,

ratur, tam facile sciunt, quàm enuntiant. Velocitas, divinitas credetur, quia substantia ignoratur. 2.) Scaliger, aaa.) qui fortè excedit quidem, Intelligentiam extendens per orbem, quem ex sententia ipsius movet, totum, sed ubiq; esse non asserens.

rr.) 2. de Immortal. cap. 6. ss.) In Mystica Philosoph. p. 168: tt.) Scheibl. l. 2. Met. c. 4. Tit. 8. Art. I. p. 83. uu.) L. I. dist. 37. qv. 1. xx.) Florum Theologic. tract. de Angel. dist. II. qv. III. apud Voss. de Idololatr. l. 1. cap. 42. yy.) in Job. zz.) Adversus gentes cap. 22. aaa.) Exercit. 352. sect. 6.

§. 4. Sententia deficientium non est una. Quidam enim Angelos dicunt esse in loco propriè dicto, seu in Ubi circumscriptivè: aliqui in Ubi per operationem: nonnulli planè nullibi.

§. 5. Primam defendunt quidam ex Calvinianis. bbb.) Cum substantia incorporea sit creatura, sequitur, illam quoq; esse in loco, scribit Timplerus. ccc.) Ego statuo Angelos in loco esse circumscriptivè, inquit Goelenius. ddd.) De horum opinione quid statuendum sit, facile apparet ex Cap. 2. argumentisq; ibi prolatis; undè non est, quod magnoperè illi nos detineant. Objicit quidem aliqua contra Goelenius; utpote, Angelos esse substantias circumscriptas; ergo & eis deberi locum circumscribentem; item Angelos mutare locum, ergo & illò circumscribi &c.: Verùm ad ea, præter dicta à nobis, respondet sufficientissimè B. Meisnerus. eee.) Ubi & plusquam æquivocè, imò contradictoriè à Timplero dictum esse, observat: Angelos esse in loco, non quidem *σωματικῶς*, attamen *νοητικῶς*, quia nullum locale spatium occupant aut repleant: Tollere namq; sese, locari & spatium locale non occupare.

bbb.) Conf. B. Meisner. Philos. sobr. p. 1. sect. 4. quest. II. p. m. 1110. ccc.) l. 4. Met. c. 4. q. 6. ddd.) in disquisitionibus Philosophicis p. 10. eee.) loco cit.

§. 6. Qui Angelos per operationem ponunt in Ubi, iterum in diversas partes abeunt. fff.) Etenim nonnulli opinati sunt,

sunt, Eos esse in Ubi per operationem immanentem intelligendi & volendi, junctâ expeditâ ac promptâ facultate exequentem; qualis est opinio *Cajetani*. Nonnulli verò per operationem transeuntem; qualis *Capreoli*; dicentis, ggg.) Angelum in loco esse formaliter per operationem transeuntem, quæ etiam locum metaphoricè attingit: item *Ferrariensis*, qui hhh.) Angelum in loco ponit formaliter per solam operationem transeuntem propriè ita dictam, quæ nempe habeat effectum in loco.

fff.) *Conf.* 1.) *Raynaudus dist. 4. Quest. 3. Artic. 1. n. 210.*  
2.) *Scheibl. Met. lib. 1. c. 17. n. 9. & 3.) Jac. Martini Met. Exerc. 3. l. 2. Theor. 7. ggg.) l. 2. d. 2. q. 1. a. 1. hhh.) lib. 3. contr. gent. c. 68.*

§. 7. At verò in genere: Angelos non esse in Ubi per operationem, quæcunqve intelligatur; firmissimis evincitur rationibus acutissimus *Soaliger*. iii.) Audiamus ejus ipsissima verba: *Quare, ait, non per operationem, ut scripserunt, Angelus dicetur ibi, (scilicet in Ubi) sed per definitionem. Et mox: Non enim operatio est affectus comes Entium necessarius. Ast Ubi est circumstantia necessaria omnibus Entibus, præter Deum: (quinimò etiam Dei est necessaria proprietas, alicubi esse, prout nempe alicubi esse accipitur generaliter, ad significandam præsentiam in communi, quâ remouetur ab ipso 70 nusquam esse, quò de Scheiblerus. kkk.) Si Angelus esset in suo Ubi (sic pergit ille,) per operationem; non posset in eodem Ubi exercere operationem: Sed variatâ operatione variaretur Ubi. At hypothesis non variat. Quia sine ullo motu sui secundum illud Ubi multas potest exercere operationes. Neq; posset mutare Ubi, nisi mutaret operationem. Hæc ille.*

iii.) *Exercitat. 359. f. 5. kkk.) loco antea citato, num. 6. & 22.*

§. 8. In specie autem quod concernit operationem immanentem intelligendi & volendi, connotatâ facultate expeditâ, ad quam aliqui confugiunt, eam præsupponunt quidem Intelligentiæ, spectatæ, prout sunt in Ubi suo, & concipiuntur

tur

tur quoque à nobis, ut instructæ intellectiōne & volitione, & facultate exequente non impeditâ; sed non idcirco dicendum est, eas per illam operationem esse in Ubi. Sicut homo progrediens, quamvis præsupponat prælucentem sibi potentiam cognoscentem, & potentiam appetitivam, & concipiatur, etiam in istâ progressionē, ut iis potentiis gaudens; non tamen ideò per istas, sed per vim motricem procedit: similem in modum Angeli existentes in π̄ suo, etiam si præsupponant intellectiōnem & volitionem, non tamen per illas sunt in Ubi. II.) Deinde per transeuntem etiam operationem Angeli in suo Ubi non ponuntur. Nam ut Argumentum hoc ex *Mayrone*, nec non plura alia, adfert *Raynaudus*: mmm.) Res finitæ, seclusâ immediatione virtutis, non agunt transeunter, nisi ubi sint indistantes à subjecto recepturo Actionem. Ergo priusquam Intelligentia alicubi transeunter operetur immediatè, intelligendum erit eam esse ibi, ubi actio est exercenda. Non ergo per hanc operationem locabitur.

III.) *Vid. Raynaud. loco ante alleg. n. 211. mmm. (Ibid. n. 212.)*

§. 9. Tandem qui Angelos nullibi esse, si nullibi agant, censent, sicut quidam *Thomista* & alii nonnulli, nnn.) parùm aptè philosophantur. Etenim

Omne quod est, alicubi est.

Atqui Angeli sunt. Ergo

Alicubi sunt, & per Consequens non sunt nullibi.

De Majore nullum est dubium. Non enim poteris aliquod existens ponere, nisi statim Ubi existentis posueris; quia perpetuæ & indivisæ singularium conditiones, quas ob id *individentes* vocant, sunt *hoc, hic & nunc esse*; ooo.) Confer *cap. 1. §. 1.* Idem testatur quoque experientia quotidiana, approbatque *Aristoteles*; ppp.) τὰ τε γὰρ ὄντα πάντα ὑπολαμβάνουσιν εἶναι π̄. τὸ γὰρ μὴ ὄν δὲ ἀμ̄ εἶναι; omnes ea, quæ sunt, alicubi esse existimant, quia id, quod non est, nusquam est. *Tullius* itidem: qqq.) Si sunt, nusquam esse non possunt. Ac ex Christianis, *Augustinus*

*us ad Dardanum scripsit : rrr.) Spatia locorum tolle corporibus :  
 nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt. Minor est cer-  
 tissima. Nam ratione naturali, si non evinci & demonstrari,  
 tamen svaderi, seu verisimiliter adstrui potest; sss.) ac si spe-  
 ctemus lumen superius, fide certum est, esse & dari ejusmodi  
 substantias creatas, intellectu præditas, homine superiores,  
 juxta illud Augustini: ttt.) Quamvis non videamus apparitionem An-  
 gelorum, abscondita est enim ab oculis nostris, & est in quâdam republicâ  
 magnâ Imperatoris Dei; tamen esse Angelos novimus ex fide, & multis  
 apparuisse scriptum legimus, & tenemus, nec inde nobis dubitare fas est.  
 Ut jam silentio involvamus: etiam Gentilibus, quippe Platoni  
 & Aristoteli, fuisse notum, dari Angelos: & in iis admitten-  
 dis Philosophos ferè omnes, exceptis paucis aliquibus, uuu.)  
 consensisse. Cùm itaq; Angeli omninò sint & existant, hinc  
 eos nullibi esse, non modò est inintelligibile Alberti, xxx.) sed  
 & impossibile Raynaudi yyy.) judicio. Tantum!*

*nnn.) vid. Raynaud. loc. cit. n. 86. ooo.) Meisner. Philos.  
 sobr. part. 1. sect. 3. quæst. 1. p. m. 666. ppp.) lib.  
 4. Phys. cap. 1. text. 2. qqq.) Tuscul. 1. rrr.)  
 Epist. 57. sss.) Conf. Raynaud. Dist. II. Quæst. I. Art.  
 II. n. 27. ttt.) in Psalm. 103. uuu.) Vide Raynaud.  
 ibid. num. 31. xxx.) coroll. 5. de Ubi dubit. 1. num. II.  
 yyy.) Dist. III. Qu. 1. Art. 9. n. 87a*

S. D. G.



CO.

# COROLLARIA.

## I.

**R**atio formalis vel essentia Spiritus consistit in immaterialitate, non in rationalitate. *Contra Daniel. Voetium Pneumat. pag. 7.*

## II.

Ad defendendam Angelorum spiritualitatem sufficiunt tres termini: *Apparenter, æquivocè, per accidens.* Nihil enim ex materialibus tribui potest eis, nisi vel apparenter (*color &c.*) vel æquivocè (*motus localis &c.*) vel per accidens (*generatio &c.*)

## III.

Immortalitatem, quâ gaudet, mendax Diabolus non veretur dissimulare aut negare, modò possit (à minùs ad magis argumentando) immortalitatem animæ nostræ in dubium vocare. Hòc fine *septem Dæmones Facio Cardano aliquando apparentes, nasci se ac interire, vitamq; suam ad annos 300. extendi responderunt, ut post vitam nostram nihil, quod cuiq; proprium esset, superesse, affirmare potuerint; referente ipsò Hieronymo Cardano Facii Filio Lib. XIX. de subtilit. non procul ab init.*

*Ad*

*Ad*  
Literatiss. Dn. RESPOND.

Auditorem M. diligentiss.

**S**is, *Cramere*, domi, templumq; Scholamq; frequentes:  
Angelus è caelo sit comes usq; Tuus.  
Leucorin hinc abeas, Sophiam Eusebienq; secutus:  
Angelus è caelo sit comes usq; Tuus.  
Dulce sodalitium! verùm hóc stipatus Achate  
Desine mirari & quærere: degat ubiq;

PRÆSES.

---

**E**T firmo Sophiæ felix facundia nexu  
Juncta est, atq; suis hanc juvat illa bonis.  
**Q**visquis ad ingenuam vult hinc conscendere laudem,  
Ne studium stolidus perdat, utramq; colat.  
Sic, *Cramere*, facis, laudem tibi quæris utramq;  
Bina hinc sunt capiti ferta parata tuo.

COLLEGIUM ORATORIUM  
FELLERIANUM.

FINIS.

